
C. E. Broĕhmand
(T. J. Bang)
Explicatio dicti Jeremiæ
XXIII. 24.
Hafn., 1627.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

1,-141.-4°

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01081 7

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

EXPLICATIO
Dicti Jeremiæ cap. 23, v. 24.

Quam

In Regiâ, quæ Hafniæ, Academiâ

Favente præſentiſsimo cœli
terræqué præſide

DEO TRIUNO

Sub moderamine

Admodùm Reverendi & Clariſsimi

V I R I

Dn. D. CASPARI ERASMI BROCHMAND,

S. S. Theologiæ Profeſſoris ordinarij

Ad divinæ veritatis libellam modeſtè expendendam exhibebit & ope S. Sancti adjutus tueri allaborabit

Pro Regio ſtipendio impetrando

THOMAS JOAN. BANGIUS,

ad diem 25 Aprilis

Loco horisque conſvetis

H A F N I Æ,

LITERIS SARTORIANIS,

Anno M. DC. XXVII.

18.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

Jerem. cap. 23. v. 24.

הֲלֹא אֶת־הַשָּׁמַיִם וְאֶת־הָאָרֶץ
אֲנִי מָלֵא נְאֻם־יְהוָה׃

Nónne ego cœlum & terram implens,
inquit Dominus?

Sapient. 1. v. 7.

Ὅτι πνεῦμα κυρίȣ πεπλήρωκε
τὴν οἰκȣμένην.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

In nomine JESU.

Thesis I.

QVùm Pontificÿ pariter ac Calviniani dogma ἐπιχθόνιον *de* omnipræſentiâ CHRISTI hominis, *portentoſo* Ubiquitatis *nomine paſſim in ſcriptis ſuis diffament & deturpent; rati ſe commodùm uſuros tam horribili nominis monſtro, loco terriculamenti aut larvæ puerilis, ad excutiendum nobis è manibus* δίστομον *Spiritus Sancti gladium Heb. 4, 12: nobis ſtudioſè allaborandum erit, ut ex limpido Iſraelis fonte turpem iſtam* Ubiquitarij *cavilli labem, nobis & noſtris Eccleſiis ab aculeatis adverſariorum calamis affricatam, eluamus.*

II. Quod ut eò feliciùs & faciliùs ſecundum divinæ veritatis normam expeditum demus: breviſſimum juxtà ac graviſſimum Prophetæ Jeremiæ eloquium, de JEHOVA cœlum & terram implente, *in placidâ quadam* συζητήσει *publicis judicÿs ſubmittere & ſubjicere operæ precium duximus.*

III. Etenim in illo, velut ſubſtricto quodam compendio, divina omnipræſentia *noſtris mentibus cogitanda & cognoſcenda clarè proponitur. Cognitâ autem & recto judicio æſtimatâ ipſius* JEHOVÆ *omnipræſentiâ: in proclivi erit animadvertere, quàm iniquè ignominioſa craſſa* Ubiquitatis *dica noſtris Eccleſiis ab adverſarÿs ſcribatur.*

IV. Telam itaque noſtri, quod præ manibus eſt, penſi, absq; ulteriori verborum circuitione orſuri: ſtatim in limine

Quærimus:

An vox omnipræſentiæ αὐτολεξεὶ *in monumentis divinitùs inſpiratis perſcripta extet?*

V. Licet autem haud inviti demus, ipſiſſimam Omnipræſentiæ *vocem totidem literis & apicibus, ſervatâquè eorundem elementorum juncturâ, in divinis monumentis perſcriptam non reperiri: nihilo tamen ſeciùs ex iisdem ſacris monumentis certum eſt, religioſis* divinæ omnipræſentiæ *æſtimatoribus ſatis proſpectum eſſe à Spiritu Dei de vocibus non omninò inferioris & anguſtioris ſignificatus, ſed ſacrum* divinæ omni-

 præſen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

præſentiæ *negotium nervoſè & prægnanter ſatis exprimentibus & explicantibus.*

VI. Adeatur modò divinus Propheta Jeremias: & actutùm de facili conſtabit, nos hæc aſſerendo à precioſæ veritatis ſcopo neutiquam aberraſſe.

VII. Optimus enim Jeremias, Pſeudoprophetas & ſeductores ſuapte ſponte ad dominicum ovile currentes, non mittente Domino Jeremiæ 23, v. 21, ſomnia ſua pro oraculis & vaticinijs divinis venditantes v. 25, verbum Domini fraudulenter ſuffurantes v. 30, nomine Dei in hæc verba affatus: Nunquid non ego cœlum & terram impleo: *voces ſingulariter emphaticas ad exprimendam & eviſcerandam cœleſtis hujus dogmatis indolem nobis ſuppeditat & ſubminiſtrat.*

VIII. Nam quid quæſo valentiùs & ponderoſiùs dici & adduci poteſt ad inculcandam Dei παντεπαρουσίαν, *quàm ipſiſſimum* JEHOVAM, *qui nil niſi pura puta eſſentia eſt*, implere cœlum & terram, *omnibusqué rebus creatis ita præſentem eſſe, ut non modò* omnia ſint ex ipſo, *tanquam cœli, terræ, maris & omnium quæ in ijs ſunt, ſapientiſſimo conditore Pſal. 146, v. 6: verum etiam* omnia ſint in ipſo *velut præſentiſſimo Spiritus, vitæ, motus & univerſæ in rebus perfectionis ſubminiſtratore Actor. 17, v. 25, 28,* omniaqué ſint *& vergant* in ipſum, *tanquam in eum, cujus verbo cœlum & terrâ conſiſtunt 2. Petr. 3, v. 5: quemadmodum ex emphatico Divi Pauli epiphonemate, quo prolixam ſuam de Judæis & gentibus diſſertationem Rom. 11, v. ult. claudit, claris & perſpicuis verbis monemur.*

IX. Ne verò neſcij ſimus, ſermonem inſtitui hoc loco à Jeremiâ Prophetâ de univerſali creatoris apud creaturam ſuam præſentiâ: *neutiquam ſilentio prætereundus eſt verſus proximè præcedens, ſcilicet vigeſimus tertius, hac verborum formâ à Jeremia propoſitus:* Nunquid Deus de longinquo ego, dixit Dominus, & non Deus de propinquo? num quisquam occultabit ſe in occultis, & ego non videbo eum? *Et demùm ſubjungitur:* Nunquid ego cœlum & terram implens? &c.

X. Quæ textus vel mediocris conſideratio & collatio evidentèr oſtendit, quòd heic ſermo ſit Jeremiæ Prophetæ non de Deo à ſcelerato & maligno mundo in intimum aliquod ſupremi cœli penetrale procul remoto, ſed de JEHOVA, *ut univerſum cœli terræqué complexum cum contentis illocaliter in ſeipſo replente, ita apud peſſimos quosqué afflicti ovilis dominici ſeductores vindice longè præſentiſſimo & ſeveriſſimo.*

XI. Por-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

XI. Porrò, in Prophetico hoc eloquio, primùm ſe offert tritum primæ perſonæ pronomen EGO: *vox ſane ipsâ literarum paucitate exigua, ſenſu interim ſalutari, ut mox patebit, longè fœcundiſſima. Nam admodùm bardus & bliteus ſit oportet, ignorare qui poſſit, hoc pronomine* EGO, *ſingulariter notari & referri eum, qui dixit:* Impleo cœlum & terram. *Verùm is nullus alius à Propheta eſſe perhibetur, quàm ipſe* JEHOVA.

XII. Sed verò, quia ad inſinuandam animis noſtris veram & genuinam divinæ παντεπαρουσίας *rationem magni intereſt breviter præſciviſſe,* quis ſit ille JEHOVA, *qui cœlum & terram implere dicitur: is autem qui ſit, quia vix citiùs & certiùs ſciri & diſci queat, quàm ex ipſo* JEHŐVÆ nomine, *religioſiùs ad libellam divinæ veritatis expenſo, & in dicto Jereminiano per pronomen* EGO, *non ſine inſigni emphaſeos pondere & luce, noſtræ menti repræſentato,*

Secundò Quærimus:

Quid ſibi velit illuſtre & propriiſsimum Dei ipſius nomen JEHOVA?

XIII. Quamvis verò Synagoga Judaica, ſuperſtitioſâ quadam divini numinis reverentiâ, efferendum neget laudandum & adorandum Dei ipſius nomen JEHOVA; *ſacratius & auguſtius id eſſe opinata, quàm ut hominis ſive calamo ſive ore præſumptuosè prodatur, adeoqué legat vel Adonai, vel Elohim, ſi nomen Adonai proximè præcedat ut Ezech. 16, v. 30: laus tamen ſit Deo, qui glorioſum ſuum nomen, nominisqué proclamationem ſolemnem generi humano intimè charo quondàm non inviderat, ſed idem illuſtre ſuum nomen in ternâ benedictionis denunciatione, populo Iſraelitico ab Aarone & Aaronicis ſacerdotibus publicitùs factâ efferendum & proclamandum non tantùm permiſerat, ſed etiam indixerat & seriò in mandatis dederat Num. 6, v. 24, 25.*

XIV. Nec non eidem divinæ benignitati immortales debentur gratiæ, quòd peculiare ſuum nomen אֶהְיֶה Ehejeh, *Moſi ſervo ſuo quondàm manifeſtarit & revelarit Exod. 3, v. 14.*

XV. Ex quo loco Moſaico in Exodo deſcripto, pulcherrima & commodiſſima ſe offert occaſio accerſendi principem & genuinam hujus nominis originem, etymon & ſignificatum: idqué vel eo imprimis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

nomine, quòd ſacratiſſima hæc dictio [יְהֹוָה] *doctiſſimi quondam litteratoris Hebræi* Fagii *in caput 6. Exod. judicio & calculo agnoſcat primigeniam radicem* הָיָה hajah *fuit, eodem planè ſancta lingva privilegio, quò futurum* אֶהְיֶה *à Moſe juxta datam reſponſionem & peculiarem Dei revelationem in Exodo annotatum, à* הָיָה hajah *deſcendit.*

XVI. Revelatio verò illa & reſponſio, quâ Deus Moſi quondàm ſciſcitanti, quod ſibi eſſet nomen, ſatisfecerat, in originali & ſanctâ lingva ita habet אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה ehejeh aſcher ehejeh, ero qui ero.

XVII. Quod diviniſſimum reſponſum eo fine adduximus, ut ſi quis illuſtriſſimum Dei ipſius nomen JEHOVA, *cum eodem cœleſti χρηματισμῷ, aliisque ſcripturæ divinitùs inſpiratæ locis, in religioſâ pietate conferre voluerit, ei planum eſſe poſſit, voce* JEHOVÆ *deſignari* eſſentiam ὑπερούσιον καὶ αὐτοούσιον, quæ fuit, eſt & erit *Apoc. 1, v. 8,* non ab alio, neque per alium, ſed à ſeipsâ, in ſeipsâ & per ſeipſam *Eſa. 43, v. 10, 11, 12, 13. & 41, 4,* immutabiliter permanens *Mal. 3, v. 6. Jac. 1, v 17:* ſupra omnem naturam & omnes res naturales ſummè ſpiritualis *Job 4, v. 24:* ſupra omnia tempora & temporarias ſucceſſiones æternùm vivens & ſubſiſtens *Deut. 32, 40, Job. 36, 26, Pſal. 102, 13:* ſupra omnia loca & locorum intervalla incomprehenſibilis *1. Reg. 8, 27:* Imò omnium aliarum eſſentiarum, quæ unquam fuere vel futuræ ſunt, origo & alma conditrix *Exod. 20, 11. Pſal. 146, v. 6:* & earum, quæ uſpiam ſunt & exiſtunt, ſuſtentatrix admirabilis *Rom. 11, v. ult. Act. 17, v. 25, 28:* nec non promiſſorum conſtantiſſima executrix, iisque velut ultimum complementum addens & tribuens *Exod. 3, v. 14. Exod. 6, v. 3, 6, 7, 8, 29. & 7, v. 5. & 14, 18.*

XVIII. Hæc de divinâ eſſentiâ, quæ in ſacratiſſimo Dei nomine JEHOVA, *velut ſubſtricto quodam compendio nobis cogitanda relinqvuntur pronunciata, non è noſtro digitulo ſuximus, aut proprio cerebello prompſimus, ſed ex Spiritus Sancti officinâ adduximus. Ad quæ adducenda & inveſtiganda calcar nobis addidit ſcitiſſima Danicorum Bibliorum nota, margini capitis ſecundi Geneſeos v. 4. à Reverendo patre, graviſſimo Theologo ac Sielandiæ Epiſcopo vigilantiſſ.* Dn. D. Reſenio Seniore, *in hæc verba noſtrate idiomate adſcripta:* JEHOVA, Jova, qui eſt à ſeipſo, ab æterno mera eſſentia, merus JEHOVA.

XIX. Quam notam & marginale ſcholion latiùs diducit & perſequitur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

quitur in libello Apologetico ſtatim ſub initium capitis quinti, p.59, his verbis: Quemadmodum Deus, ut eſſentia incomprehenſibilis ex ſe eadem ſemper, eſt ſupra Naturam & res naturales in univerſum, & ſic ſupra tempora ſimul, omnemqué adeò durationem, cum quavis ſucceſſione, pro ratione æternitatis ſuæ, prorſus immutabilis: quæ eſt ipſa Deitas illius, ſicut dictum eſt: ita quoque ſupra loca & ſpacium quodcunqué, pro ipsâ ſui immenſitate immobili, quæ eadem illa Deitas eſt unica indiviſibilis, religiosè exiſtimandus eſt.

XX. Quæ ultima verba: Eadem illa (*ſcilicet eſſentia*) eſt Deitas unica indiviſibilis: *diligenter obſervanda veniunt contra anthropomorphitas, quibus volupe eſt ſimpliciſſimæ divinæ eſſentiæ, quantitatem & qualitatem corpoream affingere & affricare ex rationaliter intellectis quibusdam ſcripturæ locis.*

XXI. Quorum ſi aliquis urſerit & inſtiterit, noſtram hanc de ſimpliciſſimâ Dei eſſentiâ *aſſertionem à vero abludere, & dixerit: Vero ſi conſentanea eſſet hæc ſententia de Deo qualitatis extraneæ & adventitiæ experte, neutiquam tam frequentem accidentium ἀλλότην aut ἑτερότην Deo & divinæ eſſentiæ aſſignaret ſcriptura, quippe qvùm divinæ literæ Deum non modò* Spiritum *Joh.4, v.24: ſed etiam* lucem *1. Joh.1,5, &* amorem *1. Joh. 4, 9. appellent. Hæc, inquam, ſi objecerint adverſarij, nobis ut perſvadeant, Deum à qualitatum mixturâ, adeoq; ab ipsâ compoſitionis lege vix vindicari & liberari poſſe: tantùm abeſt, ut patiamur nobis è manibus excuti ancipitem Spiritus ſancti gladium, ad primum hoc è pharetrâ anthropomorphiticâ emiſſum telum, ut potiùs religiosâ animoſitate obtuſa craſſæ compoſitionis miſſilia in anthropomorphiticæ capita retorqueamus.*

XXII. Etenim expenſura pia mens diviniſſima hæc tria vocabula lucem, amorem & Spiritum, *eademque ad Deum accommodatura, ſolicitâ curâ & ſtudio allaborabit* ſpiritualia ſpiritualiter dijudicare *Paulino monitu* 1 Cor. 2, 13; *hasque dictiones depurare, & removere ab iis omne id, quod vel variantis qualitatis diverſitatem, vel corpoream rerum humanarum ſive ſecularium compoſitionem, immundiciem & imperfectionem redolere deprehendatur, ut ſolum id, quod in iis ſimpliciſſimum, puriſſimum & perfectiſſimum repperit, Deo & divinæ eſſentiæ, quoad per anguſtiam humani pectoris detur, tribui & aſſignari queat.*

XXIII. Nam licet permulta ſint, quæ de Deo in ſcripturis efferantur

verbis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

verbis tritiſſimis & vulgatiſſimis, quippe ad res ſeculares exprimendas adhiberi ſolitis: incomparabiliter tamen eminentiore, conſummatiore & puriore modo ea de creatore cogitanda veniunt, quàm de creaturis, è quibus ipſe dicendi character peti & promi aſſolet. Quâ de re graviter & eruditè diſſerentem lege admodùm Reverendum & Clariſſimum præſidem part. 1. Controverſ. Anti-Bellarminianarum lib. 3. cap. 14. Et diſputatione 5. de Sacramentis, quæſtione 3. Nec non Excellentiſſimum & celeberrimum D. Caſparum Bartholinum in Rhetor. cap. 4. Regul. 3.

XXIV. Sic: Spiritus ut eſt ſpirans ſeu perflans Joh. 3, 8: ut animans Eccleſ. 12, 7: imò ut miniſtrans Heb. 1, 14, neutiquam tribui poteſt & debet ipſi Spirituum patri Heb. 12, 9, & Deo ſpirituum omnis carnis Num. 16, v. 22: quippe cùm divina ſpiritualitas longè altiùs aſſurgat, quam ut ejus eminenti perfectioni, ſimplicitati & ſublimitati exprimendæ ullius creati ſpiritus nomenclatura ſufficere queat.

XXV. Nam ſi vox Spiritus *Deo tributa (de cœteris duabus idem eſto judicium) perfectiorem & ſublimiorem ſpiritualitatem noſtro intellectui cogitandam non offerret, quàm ea quæ angelis & animabus noſtris competit, procul dubio audaciâ quadam Scriboniana (adi & excute ipſum limen Phyſices* Guilielmi Adolphi Scribonii) *& ſtultâ definiendi temeritate aliquis ſtatuere poſſet, æternum & infinitum creatorem cum finitâ creaturâ ſuâ ſub eodem genere Synonymo contineri.*

XXVI. Hac autem abſurditate ſimul & ſemel admiſſâ, in innumera penè abſurda opinione ſua celerius idem devolveretur. Nos habita temporis & inſtituti noſtri ratione, ex uberrima τῶν ἀτόπων ſegete pauciſſimas tantùm ſpicas manu valdè parca colligemus. 1. Inde ſequeretur, ſpiritum non μονοτρόπως, θεοπρέπως καὶ ἐξαιρέτως, *ſed* συνωνύμως *de Deo & ſpiritibus creatis enunciandum eſſe. 2. Finitum effectum cum æterna & infinita causa generis naturam æquabiliter & verè participaturum. 3. In Deum cadere accidens, diverſum ab ipſius eſſentia, ſcilicet ſpiritualitatem, charitatem, lucem &c. quæ angelis & hominibus tributa, ab angelica & humana eſſentia omninò realiter differunt.*

XXVII. Quæ incommoda ut evitentur, ſtet ſententia: Spiritum, *lucem & charitatem, quæ ante tempora ſecularia in Deo præexſtiterunt, eminentiore longè & perfectiore modo Deo creatori, quam creaturæ, attribuenda eſſe.*

XXVIII. Quia verò, Deus tàm perfectæ Spiritualitatis (ignoſcant manes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

manes Ciceroniani) *ſpiritus eſt, ut ſupra omnium reliquorum ſpirituum, in quibus qualitates ab eſſentia differunt, ſortem & ſeriem longiſsimè evectus ſit: neutiquam pertimeſcendum erit, quòd abſtractiſsima & ſimpliciſſima hæc tria divinæ eſſentiæ attributa, aliquam aut variantis qualitatis diverſitatem aut confuſionis mixturam in abſolutiſsimam & puriſsimam Dei eſſentiam ſecum invehant & importent.*

XXIX. Imò contrarium potiùs ex abſtractivis iſtis dictionibus elicitur & evincitur, ſuffragante univerſo orthodoxorum Theologorum choro: Nimirùm, quòd abſtractivi iſti loquendi modi amor, lux, vita &c. *potiùs potenter firment & roborent mirandam iſtam & omnimodam eſſentialium attributorum cum divinâ eſſentiâ identitatem, quam eandem proterant & peſſundent. Vide graviſſimum & celeberrimum Theologum Dn. D.* Johan. Gerhardum *part. 1. loc. com. de Naturâ Dei th. 48. Et* Cunradum Dietericum *in Inſtitutionibus Catecheticis, tract. de Symbolo Apoſt. &c.*

XXX. E quibus præmiſſis & præſuppoſitis tandem concluſum eſto: Quicquid de Deo prædicatur abſolutè, *ſive lux, ſive charitas, ſive vita fuerit &c.* id eſſentialiter non accidentaliter intelligendum venit: & quæ, ceu multa & diverſa, de Deo prædicantur, in Deo multa non ſunt ſed unum. Noſtro tantùm conſiderationis modo, qui compoſitus eſt, ut multa & diverſa exiſtimantur.

XXXI. Qui conſiderationis modus, & ratio Deum & divina myſteria intelligendi, licet ob puerilem 1. Cor. 3, 1, ſucceſſivam Act. 18, 25, 26, ænigmaticam & partialem noſtram in hac mortalitate ſcientiam 1. Cor. 13, 12, admodum puerilis, acquiſitu difficilis & obſcura ſit: neutiquam tamen committendum erit, ut exiguam hanc intelligendi facultatem ullâ noſtra incuria aut negligentia minui aut viliſcere patiamur; quin potiùs calidis ſuſpiriis & devotis precibus à nobis ſolicitandus eſt is, qui in nomine Jeſu rogatus Joh. 15, 16. ἁπλῶς omnibus ſapientiam ſine exprobratione impertit Jac. 1, 5. velit per ſpiritum ſuum efficere, ut ſpiritu mentis noſtræ renovemur *Eph. 4, 23,* in cognitionem ſecundum imaginem creatoris noſtri *Col. 3, 10,* & ut nos retectâ facie gloriam Domini contemplantes, in hanc ipſam imaginem transformemur, à gloriâ in gloriam tanquam à Domini ſpiritu *2. Cor. 3, 18.*

XXXII. Hæc, quæ modò attulimus de ſimpliciſſima trium maximè illuſtrium attributorum in Deo unitate, & unitiſſima eorundem in divinâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

eſſentia ſimplicitate, ſi cum iis conjungantur, quæ de auguſto & ſacra-to Dei ipſius nomine (JEHOVA) *ex ſcripturis ſuperiùs adducta fuere: immane quantum lucis concilietur ſubſeqvuturo de divina omnipræſentia diſcurſui, anſamque præbebit religioſiùs & eminentiùs cogitandi & ſentiendi, ut de divina eſſentia, ita de ejusdem in univerſo orbe* Omnipræſentiâ. *Nam non de nihilo tam altam & diffuſam hujus ſacratiſſimi negotij repetitionem in ſuperioribus à nobis inſtitutam eſſe: jam nunc quivis de facili aſſentietur, videns hac latiore veritatis præmunitione, latam feneſtram adapertam eſſe, duriuſculis prima fronte dicti Jereminiani verbis faciliùs explicandis & intelligendis, divinæqué* Omnipræſentiæ *negotio rectiùs accommodandis.*

XXXIII. Imprimis autem ipſa Impletionis *locutio animali homini durior videri poterit, qui ſenſus humi defigit, craſſis & corporeis ſpeculationibus in transverſum abreptus. Quæ plumbeæ* ψυχικȢ *hominis imaginationes, ut à ſublimi* Omnipræſentiæ divinæ *myſterio relegentur, & quicquid craſſum & carnale heic cogitari poteſt, ſtirpitùs averruncetur, porrò diſcutienda erit.*

Quæſtio III:

Qualis ſit illa cœli & terræ impletio nomine מָלֵא *indigitata?*

XXXIV. Tria ſordida rationis & eorum qui in exponendis literis divinis rationem ducem ſeqvuntur, commenta heic clauſis oculis & ſurdâ aure prætereunda ſunt, ne dulciſſimæ JEHOVÆ *apud omnes & ſingulas creaturas præſentiæ, atram lituram inducant.*

XXXV. Primò *illis occludendæ ſunt aures, quibus heic rationem interpretem ita allubeſcit ſequi, ut Deum cœlum & terram replentem & ubique præſentem cuivis Mercurio, ligno & lapidi localiter includant & infarciant.*

XXXVI. Hi proximè accedunt ad idololatricas paganorum opiniones, qui Deum cum vaſto cœli & terræ corpore miſceri perperàm exiſtimabant. Cujus quoque erroneæ opinionis quondam ſe fautorem fuiſſe oſtendit Virgilius Æneid. 6. hunc in modum modulatus:

Prin-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

Principiò cœlum, ac terras, camposquè liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Quod tetraſticon ſi de Deo velut internâ aliquâ rerum naturalium componente causâ intellexerit Maro, Deus in rerum à ſe conditarum compoſitionem veniret: quo quid quæſo abſurdius & humanis auribus indignius?

XXXVII. *Neque* ſecundò *iis vacivas commodabimus aures, qui nil niſi quod craſſum & carnale eſt toti hìc ſpirant, ſentiunt & ſapiunt; ſingentes fortè, Deum cœlum & terram repleturum, ſpatioſâ quadam magnitudine per totam hanc univerſitatem extendi & dilatari: veluti* Servetus *quondàm Deum per hoc univerſum inſtar aeris aut lucis diffundi arbitrabatur. Contra quos rotundè diſſerentem lege Excellentiſſimum præſidem* parte ſecundâ Controverſiarum Anti-Pontificiarum *lib. 1. cap. 9. pag. 96.*

XXXVIII. *Nec* tertiò, *iis accedendum & aſſentiendum, erit, qui altiùs, ut ſibi videntur, cogitationum alis ſubvecti, Deum non aliter creaturis adeſſe, cœlumquè & terram implere autumant, quàm rex vel monarcha terrenus ſuo regno latiſſimè patenti ſubditisque ſuis numero plurimis adeſt: qui licet ſingulis ſui regni incolis corporis ſui eſſentiâ adeſſe nequeat, quippe qui in ſuo palatio reſidens, certo circumſcriptus loco, eidem ſæpè affixus ſolio: majeſtate tamen, dominio, nutu, juſſu, decretis & legibus per miniſtros omnia abſens ita exequitur, ac ipſe rex corpore toti regno præſens imperitaret.*

XXXIX. *Ita ratiocinantur illi, qui Deum in ſummo cœlorum cœlo collocantes, ſolam* poteſtatis, virtutis & majeſtatis *præſentiam apud creaturas concedunt, ſubtractâ iisdem divinæ ipſius eſſentiæ præſentiâ.*

XL. *Licet verò autores hujus ſententiæ erroneum hoc dogma diſſimulare & variјs pigmentis incruſtare allaborent: illud tamen ita in apricum producit & publicis oculis exponit Admod. Reverendus & Clariſſim.* D. Mentzerus in Exegeſi Auguſtanæ Confeſſionis *Art. 1.* de DEO uno & trino, *ut ipſos quoque auto-*

res & autorum libros & loca nominatim perſtringat, his verbis uſus: Theod. Beza 1. Volum. Theol. *p. 589, & hunc ſecutus.* Lambertus Danæus *de Elenchis hæreticorum, p. 119. & Joan. Pincier de Cœna Domini lib. 2. p. 370, 371. edit. Herb. Anno 94*, negant Deum eſſe ubique præſentem ſuâ eſſentiâ, ſed vi, poteſtate & majeſtate &c.

XLI. *Et hoc quoque eſt delirum illud humanæ rationis ſomnium, à quo ut nobis caveamus, tantoperè hortatur* D. Philippus Nicolai νῦν ἐν ἁγίοις, *ſed ſtrenuiſſimus quondàm* omnipræſentiæ hominis CHRISTI *vindex & ferventiſſimus gloriæ divinæ zelotes. Locus videatur in* Myſterio de omnipræſentiâ carnis CHRISTI *lib. 1. Edit. in oct. cap. 9. pag. 303.*

XLII. Quorum præclarorum veſtigia ut preſſè legamus, & in cœpto cœleſtis veritatis curriculo rectà & inoffenſo pede pergamus: longùm valere jubemus Impletionem *ſive* virtualem, *ſive* expanſivam, *ſive deniquè* incluſivam, *præſertim qvum earum nullam veritati & doctrinæ, quæ ſecundum pietatem eſt 1. Tim. 6, 3, litare animadvertamus.*

XLIII. Id verò ut eò expeditiùs expeditum demus, & trinæ fictitiæ hujus Impletionis tricis extricati in almæ Veritatis, cui ſerimus & metimus, fano liberum & fixum pedem figere queamus: Initiò & ante omnia ipſa vox מָלֵא ſecundum litteratorum Hebræorum placita eviſceranda erit. Dehinc ſolerti religioſæ & depuratæ mentis indagine liberanda venit eadem dictio, ab omni iſtâ impuritate & ſcoriâ humani cordis & cogitatus, quam craſſa & corporea Impletio in Phyſicorum ſcholis importat, noſtroque intellectui cogitandam offert.

XLIV. Ut autem in nativum vocis (מלא) *intellectum penetrare valeamus,* duo *neceſſariò prælibanda ſunt: tum* genuina vocis ſignificatio, *tùm* ſcitiſſimus lingvæ ſanctæ in eadem voce idiotiſmus, *diligentèr notandus.*

XLV. Et ut ab ultimo primum ordiamur: peculiaris dicendi character & elegantiuſculus ſermonis Hebræi idiotiſmus ſe prodit in participio (מָלֵא) *quod vicem temporis in Græcorum & Latinorum ſcholis præſentis ſuſtinere animadvertimus. Nam licet reverà ſit participium, tantundem tamen heic valet ac præſens apud Græcos & Latinos valere ſolet. Id quod è fidâ interpretum expoſitione pateſcit, qui hanc dictionem latinitate donaturi, non* Implens, *ſed* impleo *interpretantur & exponunt.*

XLVI. Quo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

XLVI. *Quo verò jure & interpretandi privilegio indultum ſit ſacræ ſcripturæ interpretibus*, participium per præſens *exponere & explicare*, *elegantiſſimè docet & demonſtrat* Clariſs. vir & Hebrææ lingvæ in hac Academiâ Regiâ profeſſor ſolertiſſimus, Dn. M. Hermannus Nicolai diſput. Hebraicarum octavâ, theſ. 119, *his verbis uſus :* Carent Hebræi verbo præſenti, pro quo participium illis in uſu, quod participium illud in ſe contineat יוֹדֵעַ יְהוָה *novit Dominus Pſal.* 1. אָנֹכִי הֹלֵךְ *ego ambulabo Gen.* 24, 42.

XLVII. *Deindè, quoad nativam vocis ſignificationem attinet illa fortè non indigebit nimis ſcrupuloſâ & laborioſâ inquiſitione, quippe quæ per ſe inveſtigatu facillima & primâ fronte obvia.*

XLVIII. *E fidiſſimis enim litteraturæ Hebraicæ antiſtitibus & propagatoribus* Pagnino, Mercero, Avenario, Schindlero & Buxtorfio, *cuivis induſtrio & candido vocum ſacrarum penſiculatori liquere ſperamus, vocem* (מלא) *communiſſimo & vulgatiſsimo ſui ſignificatus ambitu*, quamvis plenitudinem, perfectionem, abundantiam & ubertatem complecti & comprehendere.

XLIX. *Porrò, enucleatâ ſignificatione, jam ipſe phraſeos à Prophetâ uſurpatæ ſenſus expendendus ſupereſt.*

L. *Licet verò ipſe loquendi modus, quo Spiritui Sancto placuit deſcribere Dei apud creaturas præſentiam, nec hyperphyſicus, nec angelicus ſit, ſed phyſicus, & ſi attendas rebus phyſicis & corporeis exprimendis accommodari ſolitus : tantum tamen abeſt, ut quisquam ſoli phyſico dicendi charactèri inhians & intentus, & altiora non ſapiens, ſibi polliceri habeat, ſe vel minimam partem latentis myſterij aſſecutum eſſe, ut potiùs ſibi perſuadeat, ſe ſpiritualia carnaliter dijudicaſſe, atquè ita à Dei Spiritus mente quàm longiſſimè aberraſſe.*

LI. *Eventilaturi itaque & excuſſuri à* Divinæ impletionis *voce leviſsimum humani ratiocinij acus & naucum*, duo *conſideranda proponemus :* Primò concordantes divinæ ſcripturæ locos, quibus Dei apud creaturas præſentia deſcribi & à fictitiæ impletionis incommodis vindicari deprehenditur, huic impletioni accommodabimus. Secundò, ipſam impletionem cum implente J E H O V A conferemus.

LII. *Ad* primum *quod ſpectat : illuſtriſsimus locus extat* 1. *Reg.* 8, *v.* 27, *quo divina impletio ab* Incluſionis *incommodo in hunc modum aſſeritur :* Quoniam num verè habitabit Deus ſuper terram? Ecce cœli

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

& cœli cœlorum non non continent te, quantò minus domus hæc quam ædificavi. *Quæ illuſtria regis Salomonis verba apprimè comparata ſunt peſſundare quamvis* incluſionis *abſurditatem, quam homo* ψυχικὸς *divinæ cœli & terræ impletioni affingere & affricare poteſt.*

LIII. Etenim quâ quæſo veritate, ille Deus ullâ rerum capacitate, quamvis vaſtiſſimâ, coërceretur & comprehenderetur, quem ne quidem cœli cœlorum continent aut continere poſſunt? Et ſi cœlum vaſtiſſimum & eminentiſſimum omnium corporum naturalium Dominum cœli & terræ concludere nequeat, nulla profectò metuenda erit incluſio *à cœteris corpuſculis, pulviſculis & guttulis, quæ nobis & noſtris oculis etiam minutiora, & nullius propè capacitatis eſſe dijudicantur.*

LIV. In hanc quoque ſententiam præclarè diſſeruiſſe B. Lutherum *in Majori confeſſione meminit piæ memoriæ D. Salomon Geſnerus diſp. 13. pro libro Concordiæ p. 389. Verba Lutheri à Geſnero citata, hæc ſunt:* Non opus eſt ullâ incluſione, quâ veluti ſepimento quodam divinitatis Deus circumcludatur, quemadmodum phanaticus ſomniat ſpiritꝰ.

LV. Quamvis verò veriſſimum ſit, Deum cœlum & terram ſic replentem, à cœlo & terrâ capi & concludi non poſſe, quin potius ipſe totum hoc univerſum capiat & complectatur: ne tamen quisquam iſtum complexum, expanſionem quandam latiſſimè diductæ eſſentiæ interpretari præſumat: in præſidium noſtræ ſententiæ advocandus eſt illuſtriſſimus locus Paulinæ apologiæ Act. 17 deſcriptæ, quâ D. Paulus ſe & juſtiſſimam ſuam cauſam contra Epicuræos & Stoicos Philoſophos in areopago Athenienſi quondàm tutari conatus eſt, inter alia his verbis uſus v. 27, 28: Non procul ab unoquoque noſtrum exiſtit Dominus: In ipſo enim vivimus, movemur & ſumus.

LVI. Qui eximius D. Pauli locus, ſi cum iis conferatur, quæ Propheta Eſaias nobis reliquit cap. 40, v. 15, 17; clarè conſtabit, DEUM implere cœlum & terram & omnia quæ in iis ſunt, non expandendo ſe ad omnes res creatas, quæ uſpiam ſunt: ſed implere omnia, dum omnia quæ ullibi ſunt, ita in Deum quaſi arctantur ut in Deo ſint, vivant & moveantur. *Quâ de re luculentiſſimè egit Excellentiſſimus præſes* parte ſecundâ Controverſ. Anti-Bellarmin. nuperè editâ, *lib. 1. cap. 9. pag. 96, 97, 98, 99, 100.*

LVII. Ve-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

LVII. *Verùm, qvùm nihil tam ſanctè & ſalutariter dictum, quin malè interpretando quandoqué depravari contingat: geminum ψυχικȣ̃ hominis interpretamentum heic quàm accuratiſſimâ circumſpectione præcavendum erit.*

LVIII. Primò, *ſolicitâ admodum curâ advertendum, ne quisquam ex hoc D. Pauli ſermone exſculpat, divinam* Omnipræſentiam, *generali ſaltem rerum ſuſtentatione contineri.*

LIX. *Nam licet haud inviti demus, divinam apud creaturas præſentiam neutiquam* ocioſam *eſſe, ſed ſummè* operoſam, *quippe non modò vitam, motum & univerſam ὕπαρξιν rebus contribuentem Actor. 17, v. 25, 28, adeoqué easdem mirabilitèr conſervantem & ſuſtentantem: inde tamen elici & exſulpi poſſe, Deum non niſi* ſolâ virtute & operatione *res implere, ſubſtantiâ interim Dei in ſupremum aliquod ſupramundani cœli ſolium elevatâ, conſtanter negamus.*

LX. *Nam non ſolùm* virtualem, *quam vocant, ſed &* ſubſtantialem *ipſiſſimi & præſentiſſimi numinis præſentiam convenientèr verbo divino ſtatui poſſe & debere, pronomen αὐτὸς clarè oſtendit. Nam αὐτὸς ſeu ipſiſſimus Deus eſt, qui unicuique noſtrûm à D. Paulo adeſſe pronunciatur: & αὐτὸς & ipſiſſimus Deus eſt, in qúo vivimus, movemur & ſumus.*

LXI. Deindè, *ſummâ accuratione contra errorem Timplerianum notandum venit, in Deo quidem vivere, moveri & eſſe res hujus Univerſitatis, non tamen ut in* loco quodam. *Quem errorem in phyſicis ſuis diſſeminavit* Timplerus *cap. 3. phyſ. Geneſ. quæſt. 8. Qui cùm ſuâ ipſius abſurditate corruat, & Clariſſim.* D. Meiſnerus in Philoſophia ſobriâ *Sect. 3, cap. 3, de mundo quæſt. 8, ſatis argutè & nervosè eundem refutaverit, tempori & papyro parcemus.*

LXII. *Atque ſic fuit* primum *momentum ſc.* aliquot concordantium locorum ſcripturæ conſideratio, ſacratiſſimæ divinæ impletionis voci dolatiùs expoliendæ apprimè ſerviens. Alterum *jam diſcutiendum ſupereſt;* ipſa *nimirum* impletionis cum implente JEHOVA collatio, *quæ ad eundem ſcopum collimat.*

LXIII. *Ut autem juſta fiat collatio inter* JEHOVAM *implentem & ipſius impletionem: hùc aſciſcenda eſt theſis decima ſexta unà cum ſequentibus usque ad 32, quas eum in finem præmiſimus,*

ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

ut ſuccedentium meliori tractationi ſubſidiariam opem conferrent, & commodam inſtituendæ collationis cynoſuram præberent.

LXIV. *Evicimus autem è verbo divino, religioſorum Dei hominum ſuper eo meditatis & eſſentiali* JEHOVA *nomine theſibus præſignatis,* JEHOVAM putam puram eſſentiam eſſe, ὑπερούσιον, ſupra omnes eſſentias & omnem naturam excellentiſſimam, ſupra omnia loca & vaſtiſſimas locorum intercapedines incomprehenſibilem, ſupra omnia tempora & temporum diaſtemata ſummè invariabilem, ſupra omnem expanſivam rotundi cœli altitudinem, incluſivam maris profunditatem, diffuſivam attenuati aëris latitudinem, & *denique* quantitativam fixæ & æternùm perſiſtentis terræ craſſitiem eminentèr ſpiritualem, ab omnibus extraneorum & ab eſſentiâ divinâ variantium accidentium viciſſitudinibus, qualitatum mixturis & diverſitatibus, *ut ita dicam*, immuniſſimam, almam conditarum rerum fotricem, & promiſſorum verborumq; verè realium conſtantiſſimam effectricem.

LXV. *Magnum hic lumen & fax illuſtriſſima ab illuſtri* JEHOVÆ *nomine, divinis literis conformitèr explicato, voci* (implens) *illucet, adeò ut non phyſica ſua dicendi luce, ſed ipſius* JEHOVÆ *implentis luce illuſtrata, nobis* θεοπρέπως *lucere deprehendatur.*

LXVI. *Et quoniam iſta lux cuivis attento luce meridiana clariùs ſeipſam allucere poteſt: vix noſtra nebula & nocte opus erit, illam ut colluſtremus.*

LXVII. *Ne tamen noſtra voluntas & deſiderium dignè & decentèr æſtimandi ſacras ſacerrimi Spiritus voces deſideretur: malumus omnem noſtræ ignorantiæ nebulam ſemel propalatam diffamari, quàm noſtram in veritate inquirenda induſtriam ſemper deſideratam accuſari.*

LXVIII. *Breviter ergò ſic habeto: Quemadmodum Deus utplurimum à nobis cognoſcitur cognitione negativa, qua puriſſimam & abſolutiſſimam Dei eſſentiam ab omnibus phyſicis & materialibus principijs & eorum affectionibus naturalibus liberamus: conſimili planè negatione & remotione phyſicæ conſiderationis,* divina impletio *à nobis comprehendenda & cogitanda venit.*

LXIX. *Nam ſequeſtretur à divina Impletione omnis materia, excludatur accidens materiæ comes, amoveatur quantitas accidentis filia, extrudatur locus accidentis nepos, expellatur tempus motui fidus amicus, &*

pror-

prorſus relegetur motus naturæ clientulus : & tùm demùm de facili conſtabit, quàm infinitis paraſangis diviniſſima JEHOVÆ *impletio, omnem aliam rerum naturalium repletionem, ſive fuerit incluſiva ſive expanſiva &c. poſt ſe relinquat.*

LXX. Imò in confeſſo erit, JEHOVAM non implere cœlum & terram inſtar grandis cœti circumlabentem aquam corpulentâ vaſti corporis craſſitie implentis [וּמִלְאוּ] *Geneſ. 1. v. 22;* nec ſimilem eſſe divinam cœli & terræ impletionem artificioſiſſimæ pretioſarum gemmarum impletioni, quâ lapis pretioſus, Iaſpis vel Onyx &c. quondàm ſculptis auri cavernulis affabrè inſertus circumcludebatur [בְּמִלּוּאֹתָם] *Exod. 28, v. 20 : ſed è diverſo planiſſimum erit,* admirandam cœli & terræ impletionem, veriſſimam ipſiſſimi JEHOVÆ in cœlo & terrâ omnipræſentiam eſſe, nullo loco quamvis ſupereminenti & præcellenti comprehenſibilem, temporum mutationibus non variabilem, non modò virtualem, ſed & eſſentialem, ſummè ſpiritualem, nulli accidentium viciſſitudini & diverſitati obnoxiam, univerſis rebus in DEUM velut arctatis, actu implendis, perficiendis, fovendis ac ſuſtentandis apprimè commodam & neceſſariam, adeoqué ſummè operoſam, Deoq; nullo modo oneroſam.

LXXI. Atque ſic fuit ipſius Impletionis *tùm* nativa ſignificatio, *tùm* ejusdem ſignificationis vindicatio & digna conſideratio : *jam ad evolvendam* cœli & terræ nomenclationem *ſeu* appellationem, *rectà tranſeundum.*

LXXII. Cœterùm fieri poſſet, ut aliquis rationis judicio fretus, huic noſtræ de divina omnipræſentiâ *aſſertioni magnam ruinam moliretur, locutione* cœli & terræ *perperàm intellectâ.*

LXXIII. Nam hac cœli & terræ phraſi loco teli uſus, nobis hunc in modum hoſtilitèr inſultare poſſet : Promittitis nobis talem Omnipræſentiam, *quâ DEUS ita univerſo mundo aderit cœlum & terram repleturus, ut omnes totius ſextidui res & creaturæ in eo ſint, vivant, & moveantur, eamqué ex dicto Prophetico aſtruere conamini. Sed verò, aliud eſt Deum implere cœlum & terram, aliud ubique præſentem eſſe. Nam qvùm indubitatò verum ſit, cœlum & ter-*

C *ram*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

ram bina tantùm eſſe manuum Dei opera, ſecundo & tertio creationis die exactiſſimè elaborata: DEUS ubique in mundo præſens non erit, qui bina ſaltèm manuum ſuarum opera, ſcilicet cœlum & terram replet. Ita aliquis adverſæ partis pātronus, nobis noſtromet nocere poſſet telo. Quod ut retundatur, aut ſaltem hebetetur,

Tempori Quærimus:

An nomine cœli & terræ, bina ſaltem manuum DEI opera, reliquis excluſis in Prophetico eloquio intelligenda veniant?

LXXIV. Næ ille immenſam & immenſurabilem DEI πανταπαρουσιαν *Pſalm. 139, v. 7, 8, 9 graphicè delineatam & depictam, arctis & anguſtis valdè finibus limitaverit, propoſiti problematis affirmationi, qui ſuffragari volet.*

LXXV. Etenim licet faciles damus, quòd ſervus DEI Moſes cœlum & terram velut duo diſtincta & diverſa à reliquis opera ſigillatim & nominatim primo Geneſeos capite perſtringat, exactiſſimam illius elaborationem ſecundæ diei, & pulcherrimam hujus exornationem tertiæ diei planâ & diſertâ oratione aſſignans: tantùm tamen abeſt, ut propterea in quovis ſcripturæ loco, geminum præcisè opus DEI hac locutione notetur, ut potiùs hæc cœli & terræ phraſis ad ad mundum reliquamque cœli & terræ creaturam deſignandam, *non rarò à Spiritu DEI adducatur & adhibeatur.*

LXXVI. Quod quia κρινόμενον *eſt: tùm verbo divinitùs revelato, tum divinioribus religioſorum hominum Dei ſuper eo meditatis roborandum erit.*

LXXVII. Verbum divinitùs revelatum ſi in conſilium adhibuerimus: clarè conſtabit, longè communiorem eſſe cœli & terræ appellationem, quàm ut eam gemino ſaltem operi ſigillatim exprimendo à Prophetâ adhibitam exiſtimemus.

LXXVIII. Quandò Regius vates Pſalm. 121, 2: 115, 15: 123, 8:

& Mel-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

& Melchiſedechus Abrahæ benedicens Geneſ. 14, v. 19, cœli & terræ conditionem à DEO *& Domino cœli & terræ Actor. 17, v. 24: Gen. 24, 3 profectam eſſe, clarè & nominatim edicunt: eos hac cœli & terræ appellatione non bina ſaltem ſecundi & tertij diei opera, ſed potiùs* mundum *vel* univerſam totius ſextidui creaturam (*cujus primordiale cœlum & terra primum rudimentum extitit Geneſ. 1, v. 1.*) *velut* ἐν ἑνὶ λόγῳ *&* κατ᾽ ἐξοχὴν *complecti, haud obſcurè oſtendit D. Paulus, dum id, quod David & Melchiſedechus cœlum & terram nominant, ille jam* mundum *Actor. 17, v. 24, exemplo Johannis Evangeliſtæ Joh. 1, 10: jam* κτίσιν *Rom. 8, v. 19: jam deniqué* τὰ ὄντα *Rom. 4, 17. appellare non dubitat.*

LXXIX. Huic Paulinæ interpretationi firmandæ & roborandæ apprimè ſervire poteſt locutio biblica, καταβολὴ τοῦ κόσμου, *quæ Matth. 25, 34: Eph. 1, 4: Heb. 4, v. 3 perſcripta invenitur.*

LXXX. Nec non ipſe Servator CHRISTUS JESUS *Divo Paulo hac in parte ſuffragatur,* cœlum & terram *Matth. 24, v. 35. & Marc. 13. v. 31. per* Seculum *Matth. 13, 39, 40, 49. & 28, v. ult. interpretatus: eadem plane ratione quâ in Epiſtola ad Hebræos cap. 1, v. 2: & 11, v. 3, eandem* τοῦ αἰῶνος *locutionem adhibitam deprehendimus.*

LXXXI. *Quocirca, veluti expreſſa cœli & terræ mentio à Davide & Melchiſedecho locis ſuperiùs citatis facta, reliquam* κτίσιν *à creationis communione neutiquam excludit, quemadmodum ex Pſalm. 146, v. 5: Exod. 20, 11: Actor. 14, 15: & Apoc. 14, 7 luculenter patet: Ita emphatica & velut digito oſtenſa cœli & terræ nomenclatio, reliqvum orbem divinâ præſentiâ privandum minimè arguit, ſicut ex ſolicitâ collatione v. 7, Sapient. 1. cap. cum hoc* Prophetico eloquio colligere *longè manifeſtiſſimum & promptiſſimum erit.*

LXXXII. *Neque deſunt diviniores religioſiſſimorum Dei hominum ſuper hac phraſi meditationes, quibus noſtræ aſſertio novum robur acquirit.*

LXXXIII. *E quorum cenſu unum pro omnibus & in primâ & in mediâ & in ultimâ acie collocamus Megalandrum* Lutherum *noſtrum benedictæ memoriæ, qui verba Pſalm. 121, verſ. 2.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

nunc theſ. 78 memorati in hunc modum (citante Reverendo patre, Clariſſim. Dn. D. Reſenio in ſuo ſuper eundem Pſalmum Commentario, Litaniis proximè præteriti anni deſtinato) explicat: Cœlum & hæc tota terra h. e. angeli, homines & univerſa creatura, cum omnibus quæ in illis ſunt & fiunt præterea divinitùs.

LXXXIV. Quapropter concluſè efficitur, hac cœli & terræ *locutione, non bina duntaxat manuum Dei opera indigitari à Propheta Jeremiâ, ſed hanc loquendi formam conformiter verbo divino & præclarorum virorum ſuffragijs, extendi poſſe & debere, ad deſignandum* mundum *vel* totius ſextidui creaturam.

LXXXV. Verùm, ſicut unda undam pellit: ita unum dubium aliud invehit & importat. Audiens enim ratio multiceps illa belva, toto mundo major, cœli & terræ appellatione mundum *vel* ſextidui creaturam *deſignari, nova fortè gloſſemata cudet.*

LXXXVI. Comminiſcetur fortè tàm numeroſam rerum conditarum multitudinem & immenſam corporum magnitudinem DEO *aut fore valdè oneroſam, qui tot rebus implendis ſolus ſufficiet, aut aliquid de tot & tantarum rerum magnitudine & multitudine diminutum iri, ſi res velut in Deum arctentur. Quod novum & malè tornatum rationis gloſſema, quia novâ indiget lima,*

Ultimò Quærimus:

Annon DEO *difficile ſit, ſalvis & integris rerum proprietatibus, cœlum & terram implere?*

LXXXVII. Si rationis judicio heic ſtandum eſſet, in ajentem fortè ſententiam complures haud inviti non tàm propenderent, quàm planè pertraherentur. Sed quoniam divinæ literæ aliud ſtatuendum ſvadent, Spiritui Sancto in ſcripturis loquenti major erit habenda fides, quam ſeductrici rationi.

LXXXVIII. Nam, quàm non difficile ſit DEO, *ita implere cœlum & terram, ut omnes in cœlo & terrâ creaturæ in ipſo ſint, vivant*

vivant & moveantur, *vel inde manifeſtum evadit: quòd illæ res, quæ nobis homuncionibus humi repentibus numero propè innumeræ & granditate ferè immenſæ putantur: in Dei oculis velut* tenuiſſima arenula, minutiſſima guttula, leviſſimum lancis momentum, *imò* nihil *reputantur.*

LXXXIX. Expendatur modò, quod Propheta Eſaias cap. 40, v. 15 & 17 ſcriptum reliquit: & tùm demum facilè conſtabit, neutiquam nos hæc aſſerendo à vero aberraſſe. Ita enim dicto loco habent verba Eſaiæ: En gentes tanquam gutta è ſitula, & tanquam flos pulviſculi in lancibus reputantur: en inſulas ut rem minutiſſimam. *Et verſu 17:* Omnes gentes velut nihil ſunt coram eo, pro nihilo & inanitate reputantur ei. *Similiter diſſerentem lege autorem libri Sapientiæ cap. 11, v. 21, 22, 23.*

XC. Neque ſubverendum eſt, vel tantillum de rerum naturalium proprietatibus longitudine, latitudine, craſſitie ſeu profunditate, interſtitio, numero vel pondere diminutum iri arctâ & intimâ iſtâ rerum in DEO ſubſiſtentiâ. DEUS enim rebus in ſeipſo ſubſiſtentibus nullum imperfectionis incommodum infert implendo cœlum & terram, quin potiùs ipſis univerſam ὕπαρξιν, *vitam, ſpiritum & motum, cœlum & terram repleturus, in ſeipſo elargitur.* In ipſo enim, vivimus, movemur & ſumus *Actor. 17, 28:* & ipſe eſt, qui nullius indigus, omnibus dat vitam & motum ſecundum omnia *verſ. 25.*

XCI. Quibus ſic præſuppoſitis concludimus: licet latiſſimus ſit cœli & terræ complexus, vaſtiſſima terrarum ſpatia, ampliſſimus oceani tractus, plurimæ inſulæ, ſylvæ, montes & urbes, imò innumera propè animalium & hominum corpora: tantùm tamen abeſt, ut univerſæ hæ res vel vaſtâ ſui magnitudine vel copioſâ multitudine DEO, in quo ſunt & ſubſiſtunt, & à quo implentur & perficiuntur, vel tantillum negotij & moleſtiæ afferre poſſint, aut hac intimâ impletione de illarum ſeu numero ſeu vaſtitate quicquam deperdi minuivé queat, ut potiùs in DEUM velut ultimum complementum quaſi arctatæ imperveſtigabili quodam ſuæ perfectionis &

συςά-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

συςάσεως obtinendæ deſiderio vergant, nitantur & inclinent. Quò etiam ſpectat Apoſtolicum epiphonema Rom. 11. v. ult. Omnia ex ipſo, per ipſum & in ipſum.

Eidem ſummo cœli terræque præſidi ſit laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-141 4° 1081